



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1549. usque ad annum 1551 - ... Atque Tabulis  
Chronologicis Ab Anno Christi 1000 Usque Ad 1595 ...

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1770**

**VD18 90118537**

§. 70. Calvini, Melanchtonis, aliorumque Protestantium iudicium de  
Osiandro.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66584](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66584)

Sæcul XVI Religionis, sed pro more impiorum, atque Atheistarum sacratissimos quoque A. C. 1550. Divini Verbi textus in ludibrium detorqueret, prout eidem Calvinus objectabat in quadam epistola ad Melanctonem data. Hic idem quoque ipsum infimulabat, „ quod se vino delectari dixisset, atque in Prussia agens jactitasset, quod quemcunque ex Aulicis ad liberius bibendum provocare auderet. Ecce! insignem prorsus novæ Reformationis Heroem. His subjungit Calvinus: „ Quotiescunque Osiander in conviviiis vinum sat generosum esse compererat, illud deprædicans hæc ipsa verba, quæ Deus de semetipso pronuntiaverat, sibimetipsum applicabat dicens: *Ego sum, qui sum*, necnon illa, *Ecce Filium Dei vivum*. Observandum quoque, quod Calvinus ipsemet interfuerit cuidam convivio, in quo Osiander hasce blasphemias evomuerat.

## §. LXX.

*Calvini, Melanctonis, aliorumque protestantium judicium de Osiandro.*

*Bossuet hist. Variat. l. 8. n. 13.* Nec benignius de Osiandro sentiebant ipsimet Lutheri Sectatores; hos inter Melancton, qui non raro hunc

hunc impium hæresiarcham, prout ipsi Calvinus objectat, immodicis laudibus extollebat, ad suos tamen amicos scribens illum de extrema ejus arrogantia, deliriis, aliisque vitiis, suarumque opinionum monitis redarguit. Porro cum Cranmerus Cantuariensis Archiepiscopus Osiandri sororem sibi junxisset, hic fanaticus in Angliæ Regno propterea firmum sibi præsidium pollicitus, eo migrare, ibidemque suos errores, ac commenta spargere constituit. Attamen non deerant, qui Anglis imo & ipsi Cranmero suggererent, rem esse periculis plenam, si ad Regnum accersere, imo duntaxat tolerare vellent ejusmodi Virum, qui Ecclesiam novis suis opinionibus sus, deque vertit. Cum ergo Osiander ab hoc Regno se exclusum iri intelligeret, sua deliria, hæresesque aliorum divulgare decrevit: igitur vix Prussiam ingrediebatur, cum illico regionemontanam Academiam ferventissimis diffidiis nova sua doctrina de justificatione turbaret, præcipue vero, postquam Principis Alberti Brandenburgici, qui supremus Prussiæ Magister adoptata reformatione uxorem duxerat, patrocínio tutum sese cerneret, mox omnibus viribus suam hæresin diffundebat, brevique totam Provinciam in varias Sectas discindebat: Verum Divinum

Sæcul. XVI.  
A.C. 1550.

Sæcul. XVI. num Numen funestis hisce malis remedium opposuit; quippe Osiander die secunda Octobris Anno Salutis nostræ quingentesimo quinquagesimo secundo supra millesimum epileptico morbo correptus die decima septima ejusdem mensis anno ætatis suæ quinquagesimo quarto animam evomuit. Scripsit plurimâ opera Theologica.

## §. LXXI.

*Augustani Conventus Decretum de Concilio.*

*Sleid. comm.* Interea alii in Germania excitabantur  
*l. 22. p. 807.* tumultus, quibus Carolus V. obicem  
*Thu. l. 8.* ponendo impar erat. Hic quidem uni-  
*p. 235.* ce Principes Protestantes, ut Synodum accederent, impellere intenderat, hancque ob rem, priusquam comitia Augustana solverentur, edictum promulgabat hujus tenoris: *Quia Religionis hoc tam grave dissidium, nulla ratione melius, quam per generale, pium, liberumque Concilium sedari potest: deinde, quia superiori in Conventu Concilio se submiserunt Ordines, in eoque permanent, fixum hoc erit, atque ratum, Et quod etiam ipse tum promisi, studio Et diligentia omni curabo, ut Ordine Et recte omnia fiant. Cum autem ad omnes Orbis Christiani Provincias Pontificium hoc diploma pertineat, equidem futurum arbitror,*